



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 12. Antonii Ruisii vitæ continuatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Bene educa-  
tur.*

*Cœlitus illu-  
stratur.*

*Mariam ob-  
feruat.*

*Corpus casti-  
gat.*

*Piè medita-  
tur.*

*De vitæ sta-  
tu deliberat.*

*Litteris dat  
operam.*

*Litteris va-  
ledicit.*

*Nebulonem  
agit.*

*Et scurram.*

*Carcere ex  
exilio mul-  
tatur.*

CAPUT  
XII  
Antonii  
Rufii vitæ  
cōtinuatio.

navigans, Comitis Villarii, Peruvizæ Proregis, favore diu floruit: à quo variis muniis promotus, Rempublicam sæpè cum laude tractavit. Noster Antonius admodum puer è fetidissima cloaca, in quam non sine vitæ periculo inciderat, sumina celeritate eductus, omen accepit se aliquando in cœnum vitiorum omnium prolapsum, Divinâ gratiâ ereptum iri. Quinquennis amissâ matre pædagogo traditus indolem cujuslibet rei capacem ostendit. Cordatis viris idè admirationi erat, quòd sexennis puer non tantum litteras appellaret, sed etiam acutissimis responsis intrincatas quæstiones æquè promptè ac gratiosè enodaret. Sublato jam patre, novenni oborta animo lux est, abditas Cœli merces timorisque Divini pretium clarissimè detegens: ex qualuce primos erga Virginem MARIAM amores, & corpusculi afflictandi desiderium ita hausit, ut in tantula ætate Dei & Regina Cœlorum favorem demeriturus, statutis diebus, Divi Hieronymi exemplo, grandem lapidem sapius in pectus adigeret; & latera cinctu aspero impressis arde acuminibus urgeret: quin & mente Deum orare, nullo in terris magistro, id ætatis puer cœlitus didicisse putatus est. Gustatâ piarum Meditationum ambrosiâ totus exiliens, ac inter suavissimos sensus se ipse non capiens, gaudio exundante, in lacrymas tenerimorum affectuum colliquebat. Inter hæc exercitia grandior factus, Franciscanorum Ordinem cogitans, sensit intus ab eâ mente se abstrahi: quare ad Eremicolam se conferens, socium se solitariæ vitæ obrulit. Sed is, immaturum consilium improbens, auctor fuit, ut se Societatis Patribus litteris Latinis erudiendum traderet: datum acceptumque consilium est; tanto tutoris, filiz suæ cum nuptiis destinantis, merore, ut paulò post contabuerit. Tutore mortuo mutavit mores, & vix primis labris libata latinitatis studia fastidians, relictis scholis, sensim sine sensu pietate exuta, licentiæ fræna laxavit. Decimo-septimo ætatis anno adoptari à prædite homine hæredem quærente noluit, ne iterum alterius imperio subderetur. Licentiam ab jocularibus vitiis occæpit; noctu urbem cum tenebrionibus percurrere, Vesperilionem agere, ex una parte turbas moliri, ex altera circitoribus ad tumultum sedandum accurrentibus offendiculo deturbandis; plateas funibus paulò suprâ solum extantibus prætereundis; lapidibus artificiosè suspensis è longinquo civium januas totâ nocte everberare, & id genus lucifugarum ludibria desertæ pietatis documenta fuere. Invalescentibus vitiis, in aliena domo nocte interceptus, acceptis tribus vulneribus, vix cum vita evasit: obductis cicatricibus denuò se nebulonibus adjungens, obviam habuit aliquot cives in se conjuratos, quos ipse fauciatum præ se agens ad fugam quidem compulit, sed postmodum periculi magnitudinem atrox vulnus ostendit: valetudine iterum recuperatâ, ab hoste alterum vulnus accepit: vix curatum invadit alter ob suspicionem falsam atrectatæ conjugis. Sed in vafore grandi plagâ multato, & mancipio ejus in fugam compulso, discrimini se exemit. Ob has & alias ejusmodi intemperies carcere, vinculis, exilio sæpè multatus, semper amicorum & florentis ætatis favore liber evasit. Vix tamen evitavit discrimen inopinæ aggressionis. Civis honestissimus Æthiopem mancipium Magistratui ob pertinaciam castigandum tradiderat, qui acerbitate flagrorum proritatus juraverat, se quemcumque primò obvium è carcere habuisset mactaturum. Eductus Æthiops occurrit in nostrum Antonium, indubiè feriendum, nisi ex opposito vidisset alterum hominem ad portam templi in genua provolutum, quo scædum in modum trucidato, ferox parricida suspendium, præ servitute ab se optatum, sibi accivit. Tantis periculis nihil cautiôr factus, cum sua & aliorum pernicio in dies pejora machinabatur: quæ ego singula exequer, nisi elogio brevissimo adolescentiæ suæ tempora ipse descripsisset, cum se Ethnico profaniorum, vanitatum omnium mancipium, & Veneris venerabundum cultorem appellavit. Ut solutiùs fræna omni licentiæ laxaret, triennio integro à Sacramentali criminum Confessione abstinuit.

**S**ED quamvis sic ageret, nullo die prætermittebat Sacro adesse, & quantum fieri potuit, in sacello Virgini dicato, cui se impensè quotidie commendabat. si id tempus exciperes totus erat in corpore illecebrosè curando. Inter voluptates tamen ne momento quidem temporis vacuus fuit ab verime conscientiam ubique

rodente,



rodente, & ipter diverticula parasitorumque greges tormento intolerabili animam torquente. Auxere vehementer hos angores, noctu offendisse in cadavera amicorum suorum ab turpium amorum corrivalibus fœdè interemptorum, dictante tunc animo, sibi eadem imminere corporis & animæ pericula, qui iisdem vestigiis insisteret: sed nihil ita torfit mentem, quàm cum per visum spectavit Christum Dominum ex sublimi in aëre loco fulmen in se vibrantem, & jam ferire volentem: immutato tamen adhuc ad hæc Antonio, & præter turbulentiam mentis nihil inde reportante, ideoque è cæno vitiorum non se extricante. Ad excutiendos hos terrores, cum Peruvix Prorege transegit, ut ad Chilenum regnum honoratius miles, suis stipendiis serviturus, per biennium mitteretur. Sed accepto jam diplomate, amicorum suafu, militiæ curâ defertâ, ex adverso, lautitiarum comparandarum ergo, Panamam navigare decernit. Commeatum jam invehiturus, amico fideli monenti, ne ante deposita peccata se pelâgi periculis committeret, paruit quidem, sed cum Sacerdos noster ad extricandos conscientix ejus nodos in sequentem diem peccatorum absolutionem differre veller, bellus pœnitens ita excaudit, ut è conspectu se propiciens juraret totâ vitâ ab Exhomologesi se abstenturum. Verùm, ô Dei miserentis factum singulare! dum abit, audit, nullo mortalium adstante, vocem nescio cujus per aërem ferri, bis inclamantis, Antoni redi. Antoni redi, & te absolvent. Articulatum sonum sequuta vox Dei idem intus suadentis, cui obtemperans reperit alterum è nostris Sacerdotibus sese ad ejus curam benignissimè offerentem: apud quem totius vitæ noxis summo cum dolore positus, Divi Ignatii exercitiis se reformandum tradidit. Quatriduo in exercitiis exacto extra se positus, animo abductus fuit in regionem longinquam innumeris Indis refertam, quos hinc homines Dæmonibus simillimi vexabant, inde Angeli in candidâ & pellucidâ veste à vexatione eximebant; tanto utrimque studio, ut finalis judicii speciem aliquam referret. Inter hæc vidit ex alto venientem ad se Christum Dominum, applicantemque lateris vulnus ejus ori; è quo latere hausto vapore suavissimo, sensit se fragrantissimo odore perfundi. Cognovit insuper eam regionem abs se visam, Paraquariam esse; Angelos verò illos in veste pellucidâ, missionarios de Societate, quibus juvandis cœlitus ipse destinabatur. Peractis exercitiis, in alium planè hominem mutatus, litteris latinis informandus sub Josephi Ariagæ Rectoris curâ in convictorium Limese concessit. Ubi non integro anno Grammaticæ ac Poëtica classes; Rhetoricæ verò curriculum septimestri contentione absolvit. De vitâ in Seminario institutâ omnia dixero, si asseruero, eodem conatu virtutum se exercitationibus tradidisse, quo paulò antè profanis voluptatibus mancipaverat. Adeò ut ob assiduum precandi studium, macerandi corporis curam, aliis serviendi propensionem, Sanctus adolefcens à contubernalibus dicebatur. E Seminario, nescio quâ de causâ, semel egresso, puer in plateis, nullo monente, se ad ejus genua venerabundus advolvit, accepto ab adstantibus omine, quod aliquando futurus iis similis esset, quibus ob vitæ Sanctitatem veneratio debebatur. Rhetoricâ imbutus, anno hujus sæculi sexto Societatem Limæ ingressus, spem de se excitatam egregiis factis confirmavit. In tyrocinio præter alios favores, bis cum Regina Cœlorum, se ipsi spectandam præbente, cor mutasse, & semel è latere Christi vaporem suavissimum hausisse creditus est. Hieronyma à Sancto Francisco, sanctitatis famâ Limæ inclyta, indicavit confessorio suo, Antonium Ruisum cœlitus Paraquariæ destinari: sequuto eventu, dum Didaco Torres pro fundandâ novâ Provinciâ inter alios Socios adhuc tyro traditus est. Cordubæ Tucumanorum, ante Sacerdotium, inter studia litterarum, Christum juvenili specie super aram conspexit candidam parmam sibi ostendentem; ex cujus aspectu sensit fervens desiderium sese omnibus postponendi. Factus Sacerdos, dum se parat ad primum sacrificium, vidit Virginem MARIAM mirabili modo sibi adstantem, & vestes Sacerdotales sibi concinnantem. Non diu post in oede Franciscanorum divina passus, tanto Indos juvandi desiderio exarsit, ut ex affectûs vehementiâ pectus quàm plusculos dies ei doluerit. Ex quatuor solidis horis, orationi mentali quotidie impendi solitis, unam tribuebat considerationi infortuniorum ab Sodalibus suis Limæ & alibi incur-

*Vermem conscientia sensit.*

*Offento terretur.*

*Militiam cogitat.*

*Voce cœlesti confirmatur.*

*Resipiscit.*

*Ad Indorum curâ vocatur.*

*Studia refumit.*

*Severam etiam vitam agit.*

*Societatem ingreditur.*

*Paraquaria dicitur destinatur.*

*Offensia cœlestibus recreatur.*



forum, quibus cogitationibus mirum in modum ad gratias Divino Numini agendas incalescebat. Ab Christo multa ad mores religiose formandos didicit. Dubitans quid præsertim agendo Divinæ Majestati maximè placeret, audivit Christi vocem affirmantis, nullo alio modo efficaciori singulares favores aucupaturum; quàm si suæ religionis legibus, & Majorum imperiis, tanquam rectâ amulsi, omnes vitæ suæ actiones dirigeret, & se præsentem quovis in loco haberet. Afferenti, ultimum præsertim monitum difficillimum factu videri iis, qui ex officio studiis & variis occupationibus animum oppignoratum habent, respondit Christus, data ab se consilia facillimè observaturum, si cor vacuum, & nulli, præterquam sibi, obnoxium haberet. Inter ardentis animi preces, cum postulasset à Deo, ut gustandi facultate sublatâ, nihil deliciosum in comedendo deinceps sentiret, repulsam à Christo passus est, jussusque non sapor in sumendo cibo, sed necessitati servire; suam enim vocem illam esse: *Non alligabis os bovi trituranti.* In hebdomada Sancta, longissimâ preceatione defatigatus, cum se super scamnum ad reficiendas defectissimas vires tantisper in Sacrario prostravisset, ab demonibus se sensit opprimi, divinâ tantum ope servandum. Virginis *MARIÆ* favores planè singulares expertus est, quos fusè explicatos reperies in ejus vitâ ab Francisco Xarque compositâ. Rebus agendis maturus, è Paraquariâ in Guairaniam, difficillimâ anni tempestate, missus, Apostolicis laboribus se statim tradidit.

## CAPUT

XIII.  
Guairaniæ  
Socii rem  
Christianâ  
egregiè  
promovent.

Taubicijus  
cum suo pa-  
go conversi-  
tur.

Pervertitur.

Divinitatis  
usurpator  
submergi-  
tur.

Guairaniæ  
Socii com-  
mendantur.

## CAPUT

XIII.  
In Guaira-  
niâ inter  
varias tur-  
bas res  
Christiana  
promove-  
tur.

**J**OSEPHUS Cataldinus Guairanicæ Missioni Præfectus, Simone Macetâ Socio ad curam oppidorum abs se constructorum relicto, cum Antonio Ruisio Parapanaci, Pirapi, & aliorum fluviorum pagos iterum sollicitatum ivit, non sine opere pretio: nam, præter multos Barbaros ex his pagis ad nova oppida reductos, Taubicijus insignis magus dudum Patribus refragatus tandem manus dedit, crematoque pago, cui ipse moderabatur, populares suos Ethnicos ad Sancti Ignatii oppidum non tantum traduxit, sed etiam nescio quos Barbaros, in mortem utriusque Socii intentos, autoritate suâ repressit: felix si constantiam adhibuisset. Verum levissima de causa ad vomitum rediens, & solitis veteratorum artibus, pestem manifiaciens, dum subdolè gentiles suos ab Patrum curâ moribus avitis irretiendos subtrahere tentat, & Corporis Christi supplicationi adesse parvi pendit, Simone Macetâ celestium vindictam prænunciante, in sylvis à prædonibus trucidatus iram Divinam meruit. Obstitabat Evangelio in aliis pagis nescio quis Divinitatis phantasticæ usurpator, fingens se vitæ plantarum ac fertilitatis authorem: prohibensque ne Sacerdotibus nostris fides daretur: in quem Maracana Casiquius, zelo incensus, insciis Cataldino ac Ruisio, insurgens, experiar, inquit, num vitæ tuæ Dominus sis; simulque sycophantam vinciri jubens, lapide ad collum alligato in profluentem per satellites protrudit suffocatque. Perspectis passim pagorum ruinis in hac expeditione, cognovè Socii, quanto Brasiliæ & Guairaniæ Indorum abactores promovendo Evangelio obstaculo essent. Nec dubitavit Ruisius pronunciare, illos iis Dæmonibus similes, quos per visum Limæ Indis insultantes conspexerat: Cataldinum verò & Macetam Angelos veloces genti convulsæ & dilaceratæ defensionis ac tutelæ cœlitus destinatos. Cui ego (nam uterque mihi notissimus fuit) multorum judicio firmatum calculum non hæsitanter addo.

**I**N his rebus dum sunt, Martinus Xaverius Urtafum in subsidium Guairaniæ Sociorum opportunè admodum venit. Nam eo appulso, Josephus Cataldinus cæteris Præpositus Lauretanum oppidum Simoni Macetæ & Antonio Ruisio regendum perficiendumque tradere, ipse verò cum Xaverio in Ignatiano persistens, in totius Guairaniæ salutem intendere potuit. Utrumque verò oppidum paribus incrementis surrexere. Numerus Catechumenorum Neophytorumque panè æqualis, labores in docendis non dissimiles, rerum omnium penuria, magorum insidiæ, prædonum vexationes, & cætera pericula planè paria, artes ex remotissimis pagis ac latebris Barbaros reducendi planè etiam geminæ, iidemque successus. Præter longinquas excursiones, singulis hebdomadis ex utroque oppido ad alia duo excur-

rebant,